



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Andreæ Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et  
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris  
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.  
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

**Delvaux, André**

**Coloniæ Agrippinæ, 1686**

3. Quibus conferri beneficia debeant.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62177)

conferendi, *Clement. unica de supplenda neglig. Pralat.* imò etiam laicis ac mulieri ex privilegio & indulto Apostolico, Boerius *Decis.* 32. n. 10. *Cassad. Decis.* 1. tit. de jure patronatus.

At verò Imperator, Rex Franciæ, vel alii Principes habeant jus conferendi beneficia in suis regnis, vide Boerium *Decis.* 32. & Rebus. *Tract. de Regia ad Pralat. nominatione in V. Cathedralibus.*

## §. III.

Quibus conferri beneficia debeant?

1. Conferri debent Clericis idoneis.
  2. Preferendus doctior minùs docto.
  3. Et quandoque minùs Doctus doctiori.
  4. Nemo instituendus, nisi examinatus & idoneus repertus fuerit.
  5. 6. Nisi Episcopus aliquem nominaverit: & de hoc quaestio.
  7. Institutio de jure ad Episcopum spectat.
  8. De consuetudine ad Archidiaconum.
  9. Semel examinatus, iterum ab eodem vel successore non examinandus.
1. Conferri autem beneficia debent Clericis dumtaxat, iisque idoneis, qui Deo & Ecclesiis velint & valeant gratum impendere famulatum, & *Grave* 29. *sup. De prob.* sive nobiles sint, sive ignobiles: etiam si in valuisse consuetudinem Ecclesiæ aliqua, ut quædam beneficia tantum nobilibus conferantur, quia non generis, sed virtutum nobilitas, vitæque honestas Deo gratos facit. *panul. eodem tit.* Hinc rescripsit summus Pont. pueris non posse beneficia Ecclesiastica conferri, id est minoribus xvii. annis, quia tales ad deservendum in Ecclesiâ non sunt idonei, & *Super inordinata* 35. *hoc tit.* Hinc etiam Conc. Trid. *Sess.* 22. c. 4. *in fine* generatim statuit, ut non aliis fiat collatio seu provisio, quam qui jam ætatem & cæteras habilitates integrè habere dignoscantur, aliterque facta sit irrita.
2. Preferendus propterea est doctior minùs docto, cæteris paribus, Covarruvias *in c. Peccatum* p. 2. §. 7. n. 4. *De R. l. in 6.* & *Piasc. in Praxi* 2. p. c. 5. art. 3. n. 10.
3. Quamvis dignus & minùs doctus, cujus noti & probati sint mores, præferri possit digniori & doctiori, cujus vita ignoratur, ex declaratione Cardd. quam ibidem refert *Piasc.* Item idoneum ex eadem civitate, vel de gremio Ecclesiæ, vel si de genere fuerit

fundatoris, externo magis idoneo præferendum docet ibidem *Piasc.* post Lambertin *de jure patronatus lib.* 1. p. 3. art. 6. & *Zecchum de benefic. c. 12. n. 26.*

4. Statuit etiam Concil. Trident. *Sess.* 7. cap. 13. ne præsentati seu electi vel nominati à quibusvis Ecclesiasticis personis, etiam Sedis Apostolicæ Nuntiis; ad quævis Ecclesiastica beneficia instituantur, nec confirmentur aut admittantur, etiam virtute cujusvis privilegii seu consuetudinis, nisi fuerint priùs à locorum Ordinariis examinati & idonei reperti; neve ullus appellationis remedio se tueri possit, quo minùs examina subire teneatur. Præsentatis, electis seu nominatis ab Universitatibus seu Collegiis Generalium Studiorum exceptis, de quibus Rebus. *in Praxi Benefic. de rescripto in forma pauperum.*

5. Si tamen nominatio ad Episcopum spectet, & institutio ad aliquem inferiorem, fuerit satis, si Episcopus Clericum nominet & offerat, secundum *Abbatem in c. Significasti* 18. *inf. De jure patronatus*: quia præsentando approbat, ejusque est approbare Clericos suæ diocesis, & *ult. sup. De Clericis peregrinan.*

6. Verùm si nominatio spectet ad unum Episcopum, & institutio ad alium alterius diocesis, in qua situm est beneficium, an etiam sola sufficiat nominatio & oblatio, ut instituitur? Sufficere quidam putant, quia verum sit, eum approbatum esse ab Ordinario Azorius *l. 1. Institut. Moral. c. 22. q. ult.* Attamen verius videtur ex Concil. Trid. examinandum & approbandum ab Ordinario loci, in quo situm est beneficium: quia non statim ex eo, quòd quis sit idoneus in uno loco, inferre licet æque idoneum fore in alio: ipsumque Conc. mandat præsentatum & electum à Nuntio Apostolico, qui & Ordinarius est intra limites suæ legationis, examinari ab Ordinario loci, quippe cui magis exploratum sit, quam idoneis in sua diocesi opus habeat Clericis & ministris. *Zyp. h. n. 3.*

7. Cùm etiam præsentatus sive electus alium pro obtinenda institutione adire non possit, quam Episcopum, loci ordinarium, qui super hæc habet fundatam intentionem in jure: & quidem sub pœna nullitatis, nisi ex privilegio vel aliter institutio pertineat ad alium Prælatum, inferiorem Episcopo, Conc. Trident. *Sess.* 4. c. 13. *De reformat.* Quo tamen casu



casu instituentis non nisi ab Episcopo examinari potest super idoneitate, maxime ad beneficia curata, nam ad eum spectat examen non ad alium inferiorem, Conc. Trid. Sess. 25. c. 9. *De reform. Piafec. p. 2. c. 5. art. 2. n. 27.*

8. Ubi verò ex consuetudine institutio beneficiorum spectat ad Archidiaconum, ut in his locis passim ei per dictum Conc. non derogatur.

9. Ceterum non potest Episcopus examine promotum ad Ordinem vel beneficium à suo antecessore, nisi post promotionem supervenerit aliqua causa, ut in c. *Accepimus sup. De atate & qualitate ordinand.* Sic enim & facta Congregatio declaravit, Regularem semel examinatum & idoneum repertum ad confessiones audiendas, non debere ab eodem Ordinario vel ejus successore denuò examinari, Zecola 1. p. *V. Confessor. §. 2. §. IV.*

In quibus consistat idoneitas Clericorum ad beneficia.

1. *Consistit ea in ordine, atate, & ceteris qualitatibus.*

2. *Incapaces beneficiorum enumerantur.*

3. *Inter eos etiam filii sunt hæreticorum.*

4. *Item excommunicati, interdicti, & irregulares.*

6. *Qui orao & quæritas requiratur, remissivè.*

7. *Quæ scientia & litteratura.*

8. *Beneficia quadam certa familia debita sunt.*

9. *Prævisi tenentur facere Fidei professionem.*

10. *Consistit igitur habitus sive idoneitas præficiendorum beneficiorum seu admittendorum ad beneficia Ecclesiastica, in ordine, atate, scientia, morum probitate, natalibus, & aliis, quæ ad quadraginta septem cumulat Cæsar. Lamberinus, referente Gonzales ad Reg. VIII. *Cancell. Gloss. 4. n. 109.* ubi subjungit, *Quis est hodie, in quo illa concurrunt, & laudabimus eum!* Sed illa moraliter accipienda sunt, ut scilicet secundum mores humanos ad sint, quatenus fieri potest.*

1. Ut verò summatim perstringam, consistit primò idoneitas in defectu canonici impedimenti. Hinc incapaces sunt beneficiorum Ecclesiasticorum, Primò, non baptizati, c. 1. *sup. De presb. non baptizato.* Secundò, non insigniti tonsura, c. *Ex litteris sup. De transact.* Tertio illegitimi, quive defectum patiuntur natalium, c. 1. & 2. *De filiis presb. ip. 6.* Cum iis tamen potest dispensare Episcopus ad minores Ordines,

& ad simplex beneficium, d. o. t. Vide supra l. i. eod. tit.

3. IV. Filii hæreticorum, & qui in Jure dicuntur credentes hæreticis, veluti hæreticorum fautores, defensores, receptatores, c. *Quicumque 2. §. hæretici & c. Statutum 15 De hæres. in 6.* Intellige de filiis hæreticorum, qui tales esse, vel tales etiam decessisset probantur; de què illis hæreticorum fautoribus & receptatoribus, quos similiter per sententiam in judicio constiterit fuisse & obuisse tales, d. c. *Statutum*: idque usque ad secundum gradum in linea paterna; in materna verò ad primum dumtaxat d. c. *Statutum V. Conjugati, sup. de Clericis conjugatis §. 2. VI. Bigami, sup. de bigamis non ordin. in fin.*

4. VII. Excommunicati, c. *Postulasti 7. in princ. inf. De Clerico excommunic. Covar. inc. Almamater p. 1 §. 7. n. 1.* Si tamen conferatur beneficium excommunicato, ignorantem se esse excommunicatum, poterit illud retinere post absolutionem, dispensante eo, ad quem collatio spectabat. Riccius in *Praxi Dec. 184. n. 173.* ubi subjungit, posse quem acceptare beneficium, sibi ante excommunicationem collatum, & post absolutionem idem possidere ac retinere VIII. *Suspensi, c. Dilectus sup. De consuetudine.*

5. IX. Interdicti & violatores interdicti, c. 1. *sup. De Postulas. Pralat. X. Irregulares, ex quocunque irregularitatis capite.* Idque procedit, licet quis ignarus & nescius sit hujus irregularitatis. Et collatio facta irregulari nulli ei tribuitur, proindeque fructus receptos tenetur restituere; non tamen privatur prius acquisitis, nec impeditur ab actu jurisdictionis, sed Ordinis dumtaxat. Ita latè Riccius *Dec. 185. Piafec. p. 2. c. 3. art. 3 n. 16.* XI. Hostiliter persequentes, insequentes, percipientes aut capientes S. R. Ecclesie Cardivalem, & ejus criminis socii; item & filii & nepotes in recta linea, c. *Felicitus, in princ. De pœnis in 6.* Huc referuntur percipientes, capientes, bannientes Episcopum, ejusque criminis socii, consilarii, fautores & defensores: nam hi omnes itèq; filii ac nepotes redduntur ipso facto inhabiles ad acquirenda beneficia in ea Ecclesia & diocesi, in qua Episcopus præsidet, non etiam in aliis, *Clem. 1. in princ. De pœnis & Gloss. ibid.* XII. Cæci, qui horas Canonicas recitare nequeunt. Denique Simoniaci, & alii similes.

Quantum ad ordinem & atatem attinet ordinam.